

**Dissertatio inauguralis medico-pharmacologica de arsenico ... / submittit  
Alexander Krompecher.**

**Contributors**

Krompecher, Alexander.  
Royal College of Surgeons of England

**Publication/Creation**

Pestini : Typis Trattner-Károlyianis, [1841?]

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/ebxauthq>

**Provider**

Royal College of Surgeons

**License and attribution**

This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

5.

**DISSERTATIO**  
INAUGURALIS MEDICO-PHARMACOLOGICA  
DE  
**ARBENIO**  
QUAM  
**CONSENSU ET AUCTORITATE**  
MAGNIFICI DOMINI  
**PRAESIDIS ET DIRECTORIS**  
V. G.  
**SPECTABILIS DOMINI DECANI**  
NEC NON  
**CLARISSIMORUM DOMINORUM**  
**PROFESSORUM**  
IN  
CELEBERRIMA REGIA SCIENTIARUM UNIVERSITATE  
HUNGARICA, PRO MEDICINAE DOCTORIS LAUREA RI-  
TE OBTINENDA, PUBLICAE ERUDITORUM DISQUISI-  
TIONI SUBMITTIT  
**ALEXANDER KROMPECHER**  
Felka-Scepusiensis.

---

PESTINI,  
TYPIS TRATTNER-KÁROLYIANIS.

ОБРАЗОВАНИЕ

КОНОДАМЫШ-СИСИР РИАНОВАИ  
ад

ООИДОНА

СИСИР

ОБРАЗОВАНИЕ КОНОДАМЫШ

ДОЛГОВОДНОСТЬ

СИСИР ТА МИКТОНІС

37

Digitized by the Internet Archive  
in 2015


МІСІОНЕРІЯ

Історична місіонерська література  
для дітей, юнацтва та молоді, а також  
для всіх, хто вінчаний на місіонерську

справу Бога

**P A T R I   O P T I M O**

*gratissimus filius.*



## Introductio.

**A**rsenicum occurrit in natura copiosum vel purum seu metallicum, vel sulfuri junctum, et quidem qua Sulfuretum Arsenici flavum, seu Arsenicum flavum, Auripigmentum, et Sulfuretum Arsenici rubrum, Arsenicum rubrum seu Aealgar, partim diversis metallis junctum, ut Ferro, Cobalto, Nikolo, Cupro etc. partim Oxigenio unitum, qua Arsenicum album, seu Acidum Arsenicosum, et qua tale junctum diversis terris et oxidis metallorum.

Antiquis temporibus jam Sulfuretum Arsenici et acidum Arsenicosum naturae scrutatoribus nota fuere. Avicenna et asseclae ejus in Systematibus suis Arsenicum numerarunt ad Sulfur, alii ad Sales Brandt primus ad finem Seculi 18vi naturam illius metallicam detexit, quam anno 1774 in opere suo confirmavit. Sed jam Seculo 13 Chemici Medici Arsenicum metallicum e mineris obtinere noverunt. Junker, Lemery, Glossacus, Brandt, Pörner et Bergmann varias adducunt methodos, ad Arsenicum metallicum obtinendum. Unio acidi Arsenicosi cum Lixiva pura, quae per fusionem Arsenici albi cum Nitrate Lixivae, obtinentur, jam Theophrasto, Agricolae et Helmontio nota fuit. — Acidum arsenicum seu Arsenicum Scheele primus paravit, tractando Arsenicum album cum acido Nitrico, qui etiam unionem Arsenici cum Hydrogenio, qua Gas Arsenici hydrogenatum detexit. — Prima mentio de Arsenico qua medicamento interno et externo invenitur, apud Dioscoridem. Tribuebantur tunc temporis Arsenico rubro vires adstringentes, antisepticae, corro-

dentes, et praecipue adhibebatur contra Phtyriasim, Aphtas oris, aliaque ulcera cavitatis narium, et contra varias impetigines. Exhibebatur interne in Emulsione contra ulcera pulmonum junctum cum resinis in Asthma-  
te aliisque morbis chronicis. Medici scriptores post Dio-  
scoridem Graeci et Romani uti Plinius, Celsus et Gale-  
nus in virtute Arsenici, et modo illud in aegrorum sa-  
lutem applicandi consentiunt. Arabes in applicatione Ar-  
senici Galenum secuti sunt, et exhibuerunt Arsenicum  
externe in Emplastris, Unguentis contra varios morbos  
cutaneos, ulceraque maligna; vaporem arsenici contra  
Asthma, tussim sicciam aliasque pulmonum morbos in  
usum vocant. Avicenna primus loquitur de Arsenico al-  
bo, quot seculo 13 et 14 qua remedium antisepticum ad-  
hibitum fuit. Geoffroy, Homberg et Hunter memorant,  
quod jam ab antiquissimis temporibus in India orientali et  
China, aqua vel vinum, quae per longius tempus in vase  
ex Arsenico asservantur, contra varios morbos adhibeatur.  
Seculo 16to usum Arsenici externum multo frequentiorem  
instituerunt, praecipue contra ulcera maligna fistulosa et  
canceratica Helmontius, Fallopius, et multi alii. Medio  
Seculi 17-mi frequentius etiam interne Arsenicum adhibe-  
batur, Seculo autem 18-vo plures Medici uti Zeller, Stahl,  
Vedel, et Junker nimium medicamenti hujus abusum ad-  
modum vituperarunt, illudque ad Medicamenta nociva re-  
jecerunt. Slevogt autem et Frick arsenici albi usum in  
febri intermittente admodom laudant, et plures in Germa-  
nia invenerunt asseclas, inter quos Bucher, Keil, Mor-  
ton, Gmelin, Jacobi, Hauermann. Nihilominus semper  
erant Medici qui argumentis firmis, partim ex Theoria,  
partim ex experientia desumptis, nimio Arsenici usui se  
opposuerunt, uti Störk Linnée et plures alii. Ad divul-  
gationem usus Arsenici interni, certe maxime contribuit  
Anglus Fowler et amici illius Willan et Pearson. In Gal-  
lia Arsenicum qua medicamentum introductum est a Va-  
lentin Desgranges; in Italia illud adhibuerunt Moskati

Botelli, praecipue autem cel. Brera, qui contra omnem fere febrim intermittentem Arsenicum in usum vocavit. Maxime vero laudatus erat usus illius externus sub forma pulveris Cosmici. — Arneman primus erat in Germania, qui internum illius usum defendebat. Ad usum vero illius internum magis introducendum in Germania maxime contribuerunt observationes de Arsenico in scriptis Harlessii et Brera. Cum anno 1811 in Borussia usus remedii hujus heroici iuternus imo et apud vulgum invaluisse, ut plures casus numerarentur ubi per incautum usum Arsenici internum a profanis exhibitum plures intoxicationes orirentur, Regimen supremum in Pharmacopaeis solutionem Arsenici dilutam parari jussit, qnam praeter Medicum nemo praescribere potuit Hoffmann virtutem Arsenici etiam in Epilepsia periodica et Cephalea expertus est. Cum illius experimentis illa etiam consentiunt, quae Fleischmann et Hagebach de Arsenico praedicant. Cell. Hufeland nimium hunc arsenici abusum admodum vituperavit, qui usum illius internum in easibus illis desperatis instituendum esse censem, in quibus omnia reliqua auxilia Medicum derelinquent. Ebers cum Arsenico etiam plura instituit experimenta, et quidem in febri intermitente, paucos attamen aegros inde sanatos fuisse, confirmat, cum indo vertiginem, Cephaleam scintillarum visionem experti fuerint, vel doloribus pectoris, tussi cum sputis saporis salsi, dolorē urente in ventriculo, vomititionibus, vomitu, colica adfecti sint, quare ille in febri intermitente arsenicum nunquam adhibendum esse censem. Sic Fischer, Achfeld, Siebert, usum remedii hujus internum vel admodum restringendum, vel illud paenitus ex apparatu Pharmacologico omittendum esse censem.

## Characteres Arsenici Physico-Chemicii.

**Arsenicum metallicum**, quod facile ex Arsenico albo obtinetur, si **Arsenicum album** cum pulvere carbonum mixtum in Retorta vitrea Sublimationi exponatur.

Sequentes habet proprietates: Sistit corpus solidum coloris chalibeo-grisei, splendoris metallici, saporis nullius, in consveta aeris atmospherici semperatura nullius est odoris sed calefactum ad gradum 356 Fahr. vel 144 Rh. spargit odorem allio similem, qui characteristicum corporis hujus sistit signum, texturae granosae duritiae mediocris, aeri atmospherico oppositum, splendorem suum amittit assumit colorem flavescentem, dein nigrescentem, et in oxiduum Arsenici nigrum convertitur; in aqua eandem experitur mutationem; si arsenicum metallicum igni fortiori exponitur, sublimatur in vasis apertis intensius calefactum inflammatur et comburitur cum flamma violacea sub evolutione vaporum alborum odoris fortis allium redolentis, qui refrigerati et corporibus frigidis adhaerentes sistunt acidum arsenicosum (**Ars. album.**)

**Arsenicum magnam** affinitatem possidet cum oxigenio, quocum triplici modo unitur, seu tres diversos gradus oxidationis agnoscit:

1. Qua **Suboxidum Arsenici**, quod oritur dum **Arsenicum metallicum** in temperatura consveta aeri atmospherico exponitur.

2. Qua **acidum Arsenicosum**, seu **Arsenioum album**: minori quantitate occurrit in natura, majori obtinetur qua productum laterale, dum minera arsenicum tenentia altae temperaturae, exponantur, in qua arsenicum oxigenio junctum qua **acidum arsenicosum** forma vaporum volatilisatur, et corporibus dein aliis frigidioribus adhaeret. — Acidum arsenicosum sistit massam albam, lacteam, pon-

derosam, fracturae vitreae ab initio pellucidam, aeris atmospherico expositum pelluciditatem amittit; gr. sp. 3,699, saporis est acerbi quidquam dulcis, odoris nullius, temperaturae 386 Fabr. expositum est volatile, vapores odorem alliaceum non spargunt, vasis clausis calefactum liquefit, aqua solvitur; gradus solubilitatis a variis auctoribus varius tribuitur, quo respectu plura chemicorum instituta sunt experimenta. Secundum cell. Buchholz pars 1 arsenici albi in temperatura 14 Rh. 80 partes aquae, in temperatura 80 Rh. 13 requirit; alcohole quoque solvitur. Solutio Arsenici albi in aqua destilata liquidum sistit pellucidum, limpidum, odoris et coloris expertis, saporis acerbi, acris, leni evaporationi commissa crystalli inde concrescunt pyramidales. Acidum arsenicosum in 100 partibus continet 66,4 arsenici et 33,6 oxygenii, cum basibus unionem init hoc acidum, et sistit sales qui temperaturae altiori expositi cum basi volatili ex integro volatilisantur, cum basi fixa acidum amittunt, acidis vero tractati, pulverem album idem acidum separant.

3. Qua acidum Arsenicum, quod arte obtinetur, dum acidum Arsenicosum cum 4 partibus acidi Nitrici concentrati in retorta vitrea destillationi subjicitur, massa dein ad siccitatem evaporatur. — Massam sistit albam pulverulentam saporis acris summe venenatam, in aqua solubilem, quae igni exposita non mutatur, per solutionem saltatis Cuprici amoniacalis dat praecipitatum pomaceo viride, per aquam calcis praecipitatum album, per acidum Hydrothionicum, flavum.

Init arsenicum unionem etiam cum Hydrogenio, quod obtinetur, dum 3 partes Stanni et 1 arsenici albi solvuntur in acido Muriatico ubi sub solutione evolvitur gas ex-color, pellucidum, odoris ingratii, nauseosi, summe venenatum, inflammabile in temperatura depressa in guttas coit.

## Actio Arsenici in organismum humanum, ejusque virtus medica.

Arsenicum album minori etiam dosi ad octavam aut sextam grani partem exhibitum, eoque usu per aliquot tempus continuato, producit tormenta cum alvi fluxu frequentius redeuntia, insignem totius corporis debilitatem, sanguinis resolutionem, sensus communis stuporem, paralyses partiales, et febrim heciam lethalem. — A grano 1 usque 5 in aqua solutum, et pro dosi haustum, vehementissimam produceit ventriculi inflammationem in gangraenam et sphacelum facile nitentem cum omnibus phoenomenis et periculis necessario inde fluentibus. Excipiunt internam hanc applicationem oris fauiumque siccitas cum ardore ad ventriculum usque extenso, sitis insatiabilis, vomitus perpetuus, ab initio quaecunque in ventriculo continentur, dein mucum spumosum, saepe cruentum, ultimo nihil fere ejiciens cum immani ventriculi dolore ardente, lacinante, terebrante, lacerante, ad intestina paulatim proserpente, ventris inflatio, alvi fluxus spumosus summe foetidus, cruentus, anxietas ingens, singultus, temulentia, oculi fixi, delirium, pulsus acceleratus, inordinatus, intermittens, facies collapsa, nervorum distensiones, sudor frigidus, mors.

Attamen, qui fatum hoc subeunt miseri, non omnes omnia, quae enumerata sunt phoenomena offerunt, cum et hic varia veneni dosis, varia praeparatio, vel et varia cum variis rebus conjunctio, varia hominis cui applicatur constitutio, ipsa denique remedia in auxilium vocata aliam atque aliam effectum seriem inducere possunt.

Modum, quod attinet, quo Arsenicum in organismum humanum agit, auctores Medici admodum dissentunt. Communis Medicorum opinio erat, quod Arsenicum modo mechanico et chemico organismo et praeparatis ventriculo qua acre, irritans et corrodens infensum sit.

Spraegel credit arsenicum etiam exerere effectum justo magis stimulantem in fluidum nervosum. Secundum Hanemann Arsenicum peculiarem illum spasmum producit et alienationem in systemate sanguifero, quam horripilationem vocamus, ulterius vero continuato illius usu, et majori dosi exhibitum imminuit calorem animalem, tonum fibrae muscularis et sensibilitatem nervorum. Videlur itaque secundum illum, illud effectum suum venenatum et lethalem magis exerere per extinctionem vis vitalis et sensibilitatis, quam per vim suam localiter corrodentem et inflammantem.

Kortum opinatur, arsenicum praeprimis agere in nervos ventriculi, quorum functiones tantae sunt dignitatis, et sympathia cum reliquo organismo tam magna, ut effectum suum tantum per nimiam horum nervorum incitatem exerat.

Jaeger ex experimentis suis cum arsenico albo in diversis organismis institutis concludit: illud analogum esse in effectibus suis veneno viperarum, et sicut hoc non nisi receptum in sanguinem effectum suum deleterium in reliquum organismum exerere. Praeterea infrigit contractilitatem fibrae contractilis et tali modo illius irritabilitatem destruit; contractilitas autem haec alio modo destrui non potest, nisi mutata proportione partium sanguinem constituentium. — Ex hac fibrae destructione auctor ille omnes arsenici effectus tam qua venenum, tam qua medicamentum agens, explicare conatus est.

Hufeland arsenico convenire vim desorganisantem, vitam directe destruentem affirmat ita ut nullum aliud corpus indole sua venenata ipsi aequiparari possit, et inde fit secundum suam opinionem quod per arsenicum quaelibet vitae manifestatio, sive sit physiologica ut processus vitalis internus, sive pathologica ut febris intermittens, quam citissime supprimatur, sequelae vero hujus suppressionis processus vitalis et destructionis substantiae organicæ serius saepe in conspectum veniunt sub forma febris

hecticae phthiseos pulmonalis, hydropis infarctuum viscerum abdominalium etc.

Secundum Harles possidet arsenicum a sexta parte unius grani ad dimidium ab homine adulto omni quarta vel quinta hora sumtum facultatem irritabilitatem muscularum paeprimis illam ventriculi et intestinorum, sicut et totius systematis arteriosi intendendi, functionem nervorum incitandi, et tali modo statum febris acivae quodammodo analogum producendi. Huic illius facultati praeципue innititur vis febres intermittentes supprimendi, quem effectum arsenicum etiam tunc temporis exerit, dum illae larvatae sunt, et nonnisi sub forma unius alteriusve symptomatis apparent. Vi hanc febrem intermittentem supprimente illud corticem Peruvianum multum superat; = attenuat nullo habito respectu, quod motus supramemoratis febriles nequaquam adhuc febrim veram sistant, et quae sequela destructionis in ventriculo et intestinis productae considerari possint, quaestio nondum soluta est, num vis febrifuga Arsenici recte ab illa febricula dependeat. Praefereniae hic expositae Arseniei pae cortice Peruviano experientia aperte contradicit, quae docet omnem febrinam intermittentem exceptis casibus ubi cortex contraindicitur per hunc certius et citius sanari, quam per arsenicum cum ex altera parte saepissime tales adsunt circumstantiae, quae usum arsenici contradicunt, dum Chinæ notwithstanding admittunt, sed revera exposunt. Affirmatio illius, quod Arsenicum remedium sistat potenter solven- et resolvens, quod sit specificum pro toto systemate lymphatico, experientia nondum satis evictum est, et reliquae vires medicatrices quas ille arsenico tribuit, aliorum observationibus nondum ita confirmatae sunt, ut fidem mereantur.

Secundum Brodie arsenicum, sive externe, sive interne adhibitum, recipitur in circulum systematis sanguiferi, agit tum in sistema nervosum, organa circulationis, canalem alimentarem omniaque symptomata qua-

illud producit, sunt, sicuti mors, immediati effectus turbatae cordis functionis et cerebri.

Ebers adnotat: modum arsenici in organismum humanum agendi huicdum paenitus esse incognitum, quod vero proprietas metalli hujus occulta in eo consistat, omne vivum in natura destruendi et resolvendi, cum ex altera parte organismus mortuus ab juncto arsenico vim accipiat resolutioni diutius resistendi. Exempla hujus virtutis antiseptici Arsenici adducuat: Welper Kelck et alii. Secundum cell. Hartmann **Arsenicum** sistit materiam omnivitae terrestri ejusque substrato organico adversam, et altiorem inter venena atrocissima sibi locum vindicat, quod in corpore animali omnem nisum plasticum extingvens sangvinem necat, eoque vitae plasticae et iritabilis fontem exhaust. — Circumstantiae illae quae usum arsenici interdicunt sunt secundum Harles sequentes:

1. Irritabilitas totius corporis, vel tantum in systemate sangvifero et lymphatico adaucta.

2. Plethora, praeprimis abdominalis cum haemorrhoidibus et cum affectionibus spasticis uti in hypochondria. —

3. Magna ventriculi debilitas cum affectionibus hujus organi spasticis, dispositio ad vomituritiones vel ad vomitum frequentius recurrentem.

4. Diarrhea chronica et habitualis.

5. Chronicae suppurationes organorum internorum, induratio, inflamatio chronica hepatis.

6. Graviditas, praeprimis in faeminis tenerioribus, et ad haemorrhagias et abortum dispositis, tempus puerperii, lactatio, aetas tenerior, infantilis.

Sub electione et compositione praeparatorum arsenici ad usum medicum, sequentes cautelae observandae veniunt:

a) Arsenicum nunquam conjungendum est cum remediiis, effectum illius usque ad corrosionem et destructionem intendentibus.

b) Nunquam cum talibus, qui effectum arsenici tollunt v. c. oxydum ferri hydrogenatum, communiter sumitur pro usu interno solutio sodae aut lixivae arsenicosae. Acidum arsenicosum applicatur rarius forma pulveris, pillularum, electuarii, aut in solutione fervida. Forma pulveris ideo in usum trahendum non est quia fortius agit, et justo serius solvitur.

Recentiores tantum modo sodam arsenicosam interne adplicant, et reliqua praeparata ejus penitus rejiciunt. Solutio arsenici albi, quam Fowler praecipue in usum traxit sequenti modo paratur:

*Rp. Arsenici albi*

*Salis tartari an. grana sexaginta quatuor.  
coque paulatim in vase vitro leni igni in  
aqua destillatae libra dimidia  
ad perfectam solutionem refrigeratus liquor filtretur eique  
tum adfundantur :*

*Spiritus Lavandulae Uncia dimidia*

*Aciaquae com. dest. tantum, quantum opus est  
ad librae unius pondus complendum.*

*Hujus solutionis guttae octoginta continent granum  
unum arsenici albi; — Adhibetur illa non tantum in fe-  
bribus intermittentibus, sed etiam in Epilepsia convul-  
sionibus a vermibus exortis, exanthematibus chronicis,  
et syphilide etiam illa, quae mercurio resistebat.*

*Harles suum liquorem antipyreticum seu solutionem  
sodae arsenicosae sequenti modo parat:*

*Rp. Arsenici albi*

*Drachmam semis.*

*Aqua com. destil.*

*Uncias sex.*

*Misce, digerantur leni calore in vase vitro clauso  
per horas sex*

tum adde;  
Sodae carbonicae purae *Drachm. semis*  
antea solutae :

Aquae Cinnamomi simpl;  
*Unc. duabus*

Misce, digerantur denuo per aliquot horas in loco temperato, liquor coletur per panum lioteum, et huic postea denuo addatur tantum aquae Cinnamomi simpl. quantum ad exacte complendum pondus

*Unciarum octo*  
necessarium est.

In hac solutione guttae decem continent  $\frac{1}{14}$  partem unius grani. Dosis pro adulto a granis decem ad quindecim ascendit; pro puerō aut puella decem aut quatuordecem annorum sex aut octo guttae. Nunquam vero haec solutio praescribenda est cum acidis, sive mineralibus si-  
ve vegetabilibus, quia per haec decomponitur. Pharma-  
copaea Borussica anno 1811 sequentem praescribit metho-  
dum eandem solutionem parandi.

*Rp;* Arsenici albi subtiliter triti  
kali carb. puri  
*an. gran. sexaginta quatuor*  
Aquae dest. simpl.

*Uncias octo*  
solve digerendo in phiala vitrea.  
Solutioni refrigeratae adde :

Spiritus Angelicae comp.  
*Unc. semis*

Aquae destillatae q. s. ut totius sit pondus  
*Unciarum duodecim.*

Externe adhibetur Arsenicum in ulceribus canceraticis, aliisque malignis, exulcerationibus fungosis sanguinem facile plorantibus, hic applicatur pulvis, qui solutioni praefertur; praescribitur pulvis cum oleo, cera forma unguenti, quo integra ulceris superficies semel aut bis de die inungitur. —

Tempore recentiori tantum pulvis Cosmii externe  
adhibetur cuius parandi methodus sequens:

*Rp. Cinnabaris*

*Drachmas duas*

**Cineris solearum vetustarum**

*Grana duodecim*

**Sangvinis Dracenis**

*Grana duodecim*

**Arsenici albi**

*Grana quadraginta*

misceantur in pulverem.

Melius videtur esse ungventum, quot Hargens proponit:

*Rp. Arsenici albi*

*Grana quatuor*

**Butyri recentis non saliti**

*Drach. sex*

**Cerae albæ**

*Drach. duas.*

misceantur exactissime in ungventum.

Si nimia adfuerit sensibilitas et dolor, et copiosa ichoris secretios Harles ungventum sequens laudat:

*Rp. Arsenici albi*

*Grana sex — decem*

**Opii puri**

*Grana duodecim — viginti*

**Oxydi Zinci**

*Drachmam semis*

**Butyri recentis insulsi**

*Unciam unam.*

**Cerae flavae**

*Drach. unam et semis*

triturentur exactissimae in ungventum.

Cum hocce ungvento corio expanso ulcus malignum in ungitur, vesperi-desumitur, et imponitur ceratum simplex,

per duos aut tres dies unguentum seponitur, dein applicatio illius bis terve repetitur, quod ut plurimum sufficit ad exulcerationem in bonam suppurationem convertendam.

Quod repetitionem singularium arsenici dosium sub usu interno attinet, generatim sequentia notanda veniunt: eas semper interpositis majoribus temporis intervallis exhibendas esse, dosis supra adnotata in adultis bis terve de die repetenda est.

Si in morbis chronicis uti in epilepsia adhibetur, necessarium est, ut usus illius per longiora temporis intervalla seponatur. Forma praeterea qua exhibetur, talis eligenda erit, ne aeger facile per errorem majorem dosim assumere possit. Forma pulveris aut pillularum recentiori tempore non exhibetur. Ut vero effectus arsenici justo maiores praecaveantur, necessarium est, arsenico, sub qualicunque forma illud adhibeatur, potum quendam mucilaginosum vel statim adjungere vel sumto medicamine exhibere. Huic indicationi optime satisfit per decoctum Altheae, Hordei aut Avenae. Nutrimentum, quod sub arsenici usu sumitur, semper magis ex regno animali, quam ex vegetabili deponitum esse debet; omnia acida et fructus aciduli caute vitentur, in lucem autem prodeuntibus symptomatibus suspectis, uti vomituritionibus, vomitu, colica, tremore artuum, arsenicum statim seponendum et lac emulsa cum opio in usum trahantur. Symptomatibus urgentibus statim exhibeatur vomitorium aut substantiae pingves, acidum hydrothionicum aut princeps antidotorum oxydum ferri hydratum.

Morbi, in quibus Harles effectum illius salutarem observavit, sunt sequentes:

1. Febris intermittens, praecipue tertiana aut quartana, dummodo illa cum nullo alio morbo, nec ulla alicujus organi affectione quae arsenici applicationem vetant, conjuncta fuerit. Quo magis febres intermittentes praecipue quotidianae ad febres continuo remittentes accedunt, eo minus convenit arse-

nici usus. Saepius ad febris intermittentis sanationem simul et alia remedia in usum vocanda sunt, quae vel cum arsenico exhibentur, vel usum arsenici inseguuntur. Ventriculus et intestina praeparatione quadam indigent, ut arsenicum bene ferre possint; — in quem scopum Harles in usum miscelam trahit ex sale amoniaco cum extractis amaris, vel magnesiam carbonicam cum pulvere Rhei Chinensis. Secundum illum etiam opium dosi minori exhibitum, qua adjuvans et corrigens praecipue in constitutionibus debilioribus admodum utile. Hominibus debilioribus post usum arsenici exhibendus est cortex cascillae, radix callami aromatici, extracta amara, et vinum. Optime pro usu arsenici, convenit tempus intermissionis, nunquam vero exhibendum est tempore aestus. In febribus intermittentibus tertianis et regularibus sufficit arsenicum bis terve de die exhibere, sic etiam in febribus quartanis simplicibus tertianis duplicatis vel etiam in illis febribus intermittentibus, quae cum soporositate conjunctae sunt, quae citius requirunt auxilium, aut in quotidianis duplicatis jam diu durantibus, necesse est dosim omni quarta vel quinta hora repeteret ut malum recitivum praecaveatur. Secundum Harles etiam febri intermittente penitus abacta adhuc semel aut bis de die arsenici dosis minima exhibenda est, et quidem eo diei tempore, quo primus paroxysmus inchoabat, hicque usus arsenici per sex aut octo dies continuatur.

2. In Epilepsia et aliis morbis convulsivis, in quibus periodicae exacerbations vel insultus animadver-tuntur.

3. Asthma spasmodicum intermittens.

4. Tussis convulsiva.

5. Cephalea periodice recurrens, praecipue dum febris intermittentis larvatae sistit specimen.

6. Melancholia, praecipue illa, quae ex tardiori per vasa abdominalia sanguinis motu, vel ex morbosa quadam lienis affectione oritur.

7. **Hydrophobia.**
8. **Ulceræ canceratæ.**
9. **Herpetes maligni, lepra et elephantiasis.**
10. **Syphilis inveterata, quam mercurius debellare non scivit.**

11. **Hydrops et Leucophlegmatia, hic arsenicum vel palmae manus, aut melius abdomini inungendum est, praecipue in hydrope inverato, magnum exerit effectum. Si autem sub adlicatione hujus remedii heroici post tertiam aut quartam diem urinae largae cum alvo frequen- tio non insequuntur ab ulteriore illius usu abstinen- dum est.**

12. **Arthritis chronica rheumatalgia, dum inverte- rata sunt, et typum intermittentem induunt.**

#### **Externe etiam adhibetur :**

1. In ulceribus carcinomatosis si carcinoma per operationem chirurgicam auferri non potest.
2. In ulceribus herpeticis praecipue faciei.
3. In ulceribus phagadaemicis dummodo ossium caries non adfuerit.
4. In ulceribus scrophulosis inveteratis.
5. In ulceribus fungosis.

Verum usus remedii, quod jam maxime anceps, fa- cillime effectus exerit funestos non raro tardius erumpen- tes, summa ubique prudentia et circumspectione mode- randus, et his legibus subjiciendus erit:

1. Ne adhibeatur arsenicum, nisi in malis gravissimis, nec ullo remedio mitiori sanandis ex quo febrim intermittentem arsenico curandam non esse facile intel- ligitur.

2. Doses hujus remedii cautissime dispensendae, et nonnisi per intervalla sat magna repetendæ, ne dosis sequens praecedentis effectum nimis intendat, id quod et de externa adlicatione valebit.

3. Quamprimum phoenomena suspecta, formina, ardor tremor artuum, etc. in conspectum venient ab usu ulteriori illico abstinentem et ad decocta mucilaginosa, imo ipsa veneni antidota refugiendum est.

## Tractamen Aegrorum Arsenico intoxicatorum.

Prima hic indicatio circa id versatur, ut venenum quam citissime ex organismo eliminetur; effectus veneni in ventriculo remanentis in organismum humanum in quantum possibile moderentur, venenum vero ipsum decomponatur. — Primam indicationem natura ipsa vomitu saepius recurrente adimplere conatur, qui tantummodo lacte moderate calido, aqua tepida, cum sacharo, melle, butyro, aut oleo mixta sustentandus est. Si vero vomitus spontaneus non sequatur, omnis rerum cardo in eo versatur, ut vomitorium cito exhibeatur, dummodo ventriculi vehemens inflammatio exorta non fuerit. Ad emetica tunc temporis exhibenda pertinet irritatio faucium mechanica, digiti ope instituta, radix Ipecacuanhae dosibus majoribus exhibita si autem inflammatio ventriculi majorem attingit gradum, hirudines adipicandi, dein potus emollientes, involventes, mucilaginosi crebrius in usum trahendi, ut lac tepidiusculum, serum lactis, mucilago gummi arabici, decoctum altheae, hordei, orizae, olea pingvia recentia et emulsio amygdalalarum, item albumen ovorum; praeterea cataplasmata emollientia abdomini imponenda, enemata mucilaginosa injicienda,

Antidota contra arsenicum vera pauca habemus, ita, ut ea remedia, quae a multis qua antidota laudabantur, uti hepar sulfuris, soda, kali, sapo solutus atrociam veneni non mitigent, sed potius augeant, imo ipsa majori dosi exhibita instar veneni agant.

Recentissime cel. Arnoldus Adolph Berthold et Robertus Wilhelmus Bunsen medici oxidum ferri hydratum contra arsenicum , tanquam princeps antidotum multis experimentis comprobatum in opere proprio publici juris fecerunt , quot modo sequenti parandum esse ajunt:

*Rp.* Sulfatis ferrosi quantum placet solve in suf. quant. aquae dest. calidae , solutioni adde :

Acidi nitrici , quantum satis ad perfectam ferri oxidationem ; — filtra , et solutioni filtratae addatur.

Amonia pura liquida tamdiu , donec praecipitatum cadere cessen , praecipitatum exortum iterata aquae destillatae ad fusione edulcuratur , liquor supernatans limpidus decantatur , residuum vero praecipitatum , qua oxidum ferri hydratum in vase vitro bene clauso asservatur.

Praeparatum hoc contra intoxicationem cum arsenico sequenti forma exhibendum esse jubent :

*Rp.* Oxidi ferri — hydr. *Unc. unam et semis*

*Aquae dest.* *Libram unam.*

*MDS.* Una quarta pars illico sumenda.

Post medianam horam dosis repetenda tamdiu , donec symptomata intoxicationis mitigata non fuerint , adhibitis simul clismatibus ex infuso Sennae et sale amaro. — Mitigatis signis intoxicationis mixtura omni hora uno cochleari sumendo , continuanda.

## **Theses defendenda.**

**1.**

**Difficillima est suppressionis virium  
a vera debilitate, distinctio.**

**2.**

**Convulsio nunquam caret periculo.**

**3.**

**Divisio morborum in acutos et chro-  
nicos non solum eorum duratione deter-  
minatur.**

**4.**

**Medicus, si prodesse non potest,  
certe non noceat. Hyp.**

**5.**

**Ad feliciter curandos morbos impri-  
mis acutos, consideratio epidemiae re-  
gnantis summi est momenti.**

**6.**

**Summum variolae prophylacticum in  
vaccina habemus.**

**7.**

**Venenum, in manu medici non datur.**

**8.**

**Processus infectionis analogus gene-  
rationi.**

**9.**

**Venaesectio in Pneumonia gradus al-  
tioris nullam agnoscit contraindicationem.**

